

## PRÆFATIO.

quoad doctrinam, in sensu latentium, usum, partim in adversariorum veritatis confutatione, partim in emendatione vitæ Christiana consistentem, quantum quidem fieri potest, efficiet. Nam quod ad reliquas nostrarum partium vel interpretationes vel observationes spectat, ac quamquam laudem omnino nequaquam exiguam promereantur, non tamen videbantur huc adsciscenda esse, ne volumen in nimiam excresceret molem, cumque præcipuus hujus instituti finis sit, eam Actorum Apostolicorum exhibere exegesin, quæ in plerisque legentis indagantis desiderio satisfacere posset & damnosæ novitatis convincere eos, qui præsidium hinc erroribus, quibus cum præsentis animarum periculo hodie decipitur orbis, affectant & quærunt. Celebratissimi de cætero Exegetæ, *D. Abrahami Calovii* in Bibliis illustratis annotationes parvæ atmodum sunt & restrictæ, in quibus vero Grotianos νεοτερισμὸς castigat, ea exactiori longe diligentia excussit *Job. Tob. Major* cujus Annotationes ne quidem in manus Calovianas videntur devenisse. *Erasmi* vero *Schmidii* Scholia & Animadversiones quoad λέξις & vocum ex Græcæ linguæ idiotismo, innumeris ex profanis Scriptoribus exemplis ostenso pretium omne excedunt. Cui fini & *Georgii Raphaelii* doctissimas annotationes in Nov. Test. ex Xenophonte collectas inservire dubitandum non est. Ex nostris heic loci Theologis *Joannes Quistorpius* primus, quas nobis dederit ut in universam Scripturam, ita in Actorum quoque Apostolicorum librum, annotationes, jam diu totus orbis novit æstimatque. Easdem continuare & novis observationibus accumulare anno superioris seculi secundo & quinquagesimo cœpit *Quistorpius* secundus, editis eam in rem aliquot Disputationibus, ἐξηγήσειν locorum in Actis difficilium complectentibus, quarum ad caput usque octavum continuatio in manus meas delata est, incertum, quousque continuaverit. Complementum vero id genus rariorum observationum, ex quotidiana sacrorum lectione & ruminacione jamdiu est, quod promisit *Quistorpius* tertius. Et jam omni contentione adnititur *Quistorpius* quartus, ne derivatum in se ex tanto tamque raro sanguinis nexu decus suppressere aut abnegare velle videatur. Non inficior interim, nondum divitias in Actorum libro repositas, sufficienti indagine erutas esse & oculis expositas. Videmur hæctenus palmam concedere & Pontificiis & Reformatis, brevique etiam Arminianis. Quis igitur non dilaudet consilium optimi illius viri, qui hunc ex tribus omnium optimis

mis